1249

Bela dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croacie, Rame, Servie, Lodomerie, Gallicie, Cumanieque rex omnibus Christi fidelibus ad quos presens littera pervenerit salutem in omnium salvatore. Et si donationes progenitorum nostrorum felicium ratas habere debeamus, maxime tamen ordinationes factas ecclesiis ab eisdem tenemur irrevocabiliter observare, ut ex hoc a bonorum omnium largitore mereamur gratiam in presenti et gloriam in futuro. Proinde ad universorum tam presencium quam posterorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod cum terras de Scepus generaliter ad iudicium vocassemus et ad perambulandum singulorum terras ibidem dilectos et fideles nostros magistrum Deus Albensem custodem et cancellarium karissime consortis nostre necnon Mikou comitem de Zolum misissemus inter cetera mandati nostri negocia exequenda, cum predicti ad terram Almas nomine pervenissent, ipsam in possessione fidelis nostri Mathye prepositi de Scepus invenerunt. Requisitus autem dictus prepositus quo tytulo eam possedisset et si munimentum super eadem terra haberet, respondit quod instrumentum patris nostri Andree regis felicis recordationis super ipsius terre donatione confectum amissum in generali subversione tartarica extitisset. Constitutis vero primodum in eorum reditu coram nobis predictis magistro Deus et Mikou comite una cum Mathia preposito memorato, sicut idem prepositus nobis retulit, cognovimus quod prefata ecclesia sancti Martini prepositure in Scepus a progenitoribus nostris et a nobis careret dotaliciis. Nos eandem favore regio prosequentes, cum sit de nobilibus membris regni nostri, eidem ecclesie ex debito nostri regiminis providere teneremur, etiam si in prenominata terra ei provisum antea non fuisset, dictam terram Almas ob remedium anime matris nostre clare memorie dedimus et confirmavimus ecclesie memorate, ut nunc nostra donatio sit munimen et confirmatio precedentis. Insuper concedimus eidem Mathie preposito in castro nostro Scepus locum pro turri edificanda et palatio competentem, quem et ipse assumpsit edificandum, muniendum et conservandum ad tutelam castri et utilitatem ecclesie memorate, adicientes quod et locus et edificia que ibi extruxerit, sibi et in ipsa prepositura succedentibus iure perpetuo debeat remanere. Mete autem terre prefate Almas prout per litteras dicti magistri Deus nobis innotuit hoc ordine distinguntur. Prima meta incipit ab aquilone in medio montis qui dicitur Jasou et descendit directe versus meridiem et cadit in vallem in qua fons oritur qui facit rivulum, per quem descendit ad magnam viam que itur ad Leucha, qui rivulus dividit terram Almas a terra ville Salasan. Dicta vero magna via tendens directe ad orientem dividit terram ville Saxonum sub castro. Deinde prope dictam villam revertitur per viam aliam versus occidentem parum procedens et ibi sunt due mete, una Saxonum et alia ville Almas. Deinde revertitur versus aquilonem et transit rivulum Almas ubi est vadus, et ibi sunt due mete sub salices. Inde procedens directe cadit in viam que ducit ad nigram silvam. De dicta autem silva via exiens tendit ad aquilonem versus montem beate Margarete per metas ex eius locis positas et ita tandem revertitur ad magnam silvam et sic terminatur. Preterea in silva supra Leucha eadem villa habet pratum quoddam quod Wrzosica nuncupatur. Aliud quoque pratum habet iuxta rivulum quod Cheunuc dicitur inter terminos Saxonum de sub castro. Ut autem premissa omnia robur optineant perpetue firmitatis nec ab aliquo successorum nostrorum valeat processu temporis in irritum revocari, presentes in stabilitatem perpetuam dedimus litteras sigilli nostri duplicis munimine consignatas. Datum anno incarnationis dominice M° CC° XL° nono, tercio decimo kalendas Octobris, regni autem nostri anno quarto decimo.